

*rere: quovis argento puriores nobis animas facit.* Et Bernhardus in lib. de vita solitaria ad fratres p. m. 1021. *Descendamus in infernum viventes, ne descendamus morientes.* Sicut enim assidue contemplando revisere amant (pii) gaudia cœlestia, ut ardentius ea appetant, sic & dolores inferni, ut horreant & refugiant. Et hoc est, quod imprecantur inimicis suis, orantes scilicet, ut descendant in infernum viventes. Cyrillus vero Alexandrinus in oratione de exitu animæ: *Gehennam timeo, quippe interminatam, exhorreo tartarum, ut cui nimium insit calor; paveo tenebras, quoniam nihil admittunt lucis, formido pestiferum vermem, quoniam est perennis.* Gerson in lect. 33. in Canonem: *Felix terror transitorius; qui timorem æternum excludit.* Præbuit mihi eadem hæc meditatio occasionem altius expendendi doctrinam de Prægustu æternæ damnationis in hac vita: qua quidem opera etiam futurum credidi, ut appareat publice, quod in Academiis non tantum scholæ, quod ajunt, sed & vitæ discamus; dumque intellectum scrutinio rerum, quas Deus revelavit, excolimus, simul etiam voluntatis & affectuum emendationem & institutionem, quæ est in justitia, sectemur.

§. II. De prægustu autem damnationis acturo cum ex lege methodi ante omnia explicandi sint termini, paucis quæ huc pertinent declarabimus. Quemadmodum itaque *damnandi* verbo, in oppositione ad *τὸ absolvere*, adeoque sensu judiciali, utuntur Auctores: ut idem sit, atque, cognita causa lataque sententia, reum aliquem declarare ac pœnis subicere; sic damnatio hoc loco & in foro Theologico, præsertim quando cum apposito *Damnatio Æterna* nominatur, malum illud insignè denotat, cui, qui reatum peccatorum sibi contraxerunt, coram tribunali divino sunt obnoxii: nempe oppositum beatitudinis æternæ, partim *privative*, quatenus carentiam omnium bonorum; quæ beatorum felicitatem ingrediuntur, importat: quæ carentia vocatur etiam *mors secunda*. vid. Apoc. II, II. C. XX., 6. alias apud Scriptores Ecclesiasticos *Pœna Damni* audit: partim *positive*, sive contrarie, quatenus non nudam beatitudinis absentiam dicit, sed cruciatus positivos & collu-  
viam